

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

incoll. 2) - 15)

EL 236

(3) = HF

7

MALACHIAS
PROPHETA
CARMINE REDDITVS,

A

PAVLO SIBERO NEOPOLITANO
FRANCO.

ACCESSIT HYMNVS DE

*Regio Christi ingressu in Hierosoly-
mam, Item de spiritu sancto,
eodem Autore.*

IESA. 2. Cap.

*Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in
uertice montium, & eleuabitur super colles & fluent ad eum om-
nes gentes. Et ibunt populi multi ac dicent, uenite & ascen-
dimus ad montem Domini, & ad montem Dei Iacob, & do-
cebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius:
Quia de Sion exhibit lex, & uerbum Domini de
Ierusalem.*

ANNO,

M. D. LXII.



Paul Siber

A T SAPIENT. V.

Talia cum fient supremo sidere mundi,
Stabit adornatus iustus honore pio.
Contuitu tristis reprobo, qui plurima secum
Mente putans, tales edet ab ore sonos:
Ecquid hic est? quem nos miserum contempsimus olim?
Diximus infausti grande laboris opus?
Nec mora tum sensim gelidus timor ossa subibit,
Cum sperata salus nulla superstes erit.
Et ducem pleno suspiria tristia corde,
Hic erat ille, diu fabula nostra fuit.
Risimus indignum stultumq; putauimus, eheu,
Stultior hęc ipso mens male sana fuit.
Omnia sic in nos retrò sublapsa referri,
Illius hic caruit finis honore suo.
Nunc agè cœlicolas inter diuina propago,
Colloquio fruitur noticiaq; Dei.

[Neisse] 1752 [Johann Creutziger]

ANNO
M. D. LXXII

MAGNIFICIS,
NOBILIBVS AC STRENVIS,
NEC NON AMPLISSI-
MIS ET ORNATISSIMIS VIRIS, ELO-

QVENTIA, CONSILIO, AC PRVDENTIA

Præstantibus, D. Capitaneo, & Dominis Consulibus,

adeoq; toti Senatui Reipub. Vratifslauensis, Domi-

nis, Mecænatibus ac Fautoribus suis S.



Nemo non cohorrescit animo luctuq; tremiscit, quo-
ties secum commemoratur iudicij extremi in nouis-
simo die seueritatem, quo Deus uindex omnium fa-
etorum, filio suo D. N. I. C. tradet totum ge-
nus humanum, totumq; hoc pucherrimum mundi
theatrum ignibus flagrabit, & ipse sedens iudica-
bit unumquemq; secundum opera sua. Quæ res cum tanta sit, ut sub
nullius mentem cadat, nec sensibus sit obuia, imò etiam angelis ignota,
magis eam suspicimus & admiramur, quàm ut rimari aut perscrutari
conemur, quia altior est, & supra omnem captum nostrum posita. Quis
enim dicendo æquare aut conseq; memoriaq; capere possit? Nam si in ijs
quæ sensu percipimus, ratione intelligimus, & in quibus quotidie uer-
samur, nisi certis demonstrationibus edocti euidentiam cernimus, cui con-
tradidere absurdum est, perpetuis dubitationum fluctibus agitamur, &
nulla firma omni ex parte est assensio, quanto magis ita in rebus diuinis
(absit tamen omnem dubitationis) fluctuabuntur animi, destituti remigio
spiritus sancti, qui per uerbum est efficax, nisi admiratione rerum in na-
tura conditarum inuitati, sapientiozem Naturam sciant, quæ inferiore
regit, omnibusq; rebus uires affundit. Nam ipsam quæso rerum pa-
rentem aspice, contemplare hominem, excellentiam eius considera: Quæ
non arridet gratia, pietas, & Dei bonitas immensa ex hoc opere
& domicilio sapientiæ diuinæ? Altius hæc insige animo, tecumq; per-
pende: quæ non est misericordia Dei & amor? ut pulchrè Manilius
dixerit, Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua. Sed nos in hac

A ij

imbecillitate

imbecillitate sensuum, et intellectus caligine ita cæcutimus, ut uelut Ves-
pertiliones in meridie, in hac clara luce nequicq̄ cernamus, donec in
his compedibus & carcere corporis, anima uelut oclusa detinemur.
Cogitanti mihi hæc iam diu, & mecum animo reputanti, Magnifici &
Ornatiss. nec non prudentissimi Viri, in mentem uenit duo in uniuersum
esse doctrinarum genera cognitu necessaria, quibus Deum eiusq̄ uolun-
tatem erga nos cognoscimus. Alterum quidem Ecclesie proprium, de
agnitione & celebratione Dei, qua se uult conspici à nobis, & nos de
immensa sua uoluntate erga nos erudit: Alterum uerò ad communem in-
stitutionem uitæ pertinens, actiones & mores hominum gubernat, studi-
um uirtutis excitat atq; inflammat, & uariarum rerum in natura cogni-
tionem inuestigat, ad finem in uita utilem. Vt autem istud Theologie
seu studium pietatis, ita hoc Philosophie & humanitatis nomine potest
appellari: Vtrumq; enim in contemplatione rerum diuinarum & gra-
uissimarum uersatur, ac thesaurum longè pretiosissimum uitæ, & inco-
lunitati nostræ conseruat, quem cum ad consequendum, tum ad retinen-
dum, multo opus est labore, studio & diligentia, quæ absq; crebra inue-
stigatione rerum doctrinarumq; non possunt comparari, imò longo usu
confirmata, non nisi sedula consideratione retinentur. Etsi autem ad
harum rerum contemplationem multa faciunt, in rerum natura oculis
exposita, quæ faciliè animos mouent, tamen ut istud de Deo est primum,
ita etiam censendum esse optimum. Ad quod ut me ipse excitarem, &
ut alijs calcar adderem, in hoc ocio literario, conscientie animiq; mei re-
leuandi gratia, Malachie prophete concionem euolui: Et ut apis uoli-
tans per multos flores, eos delibat & succum attrahit, nec unquam ina-
nis aut uacua ad aluearia redit: Ita ego simili ratione pro mediocri-
tate studiorum meorum, ne ociosus essem lector, eundem prophetam car-
mine uerti, quem in lucem emittere decreui. Etsi uero in hoc turpissimo
seculo, quo τὸ ἀκριβὲς λόγος ingruit, & quasi peculiare est, ut quid
facias planè in dubium auoceris, præcipuè in tali re & studio difficili,
non satis tutum est in arenam descendere, cum præsto sit, qui cum certes:
tamen ut ne ipse mihi deessem, faciendum duxi, & ut quam plurimos ad
prophetarum lectionem inuitarem. Quare primo loco me excusatum
uolo, deindè peto ut V. M. eo quo factum est animo, cepto faueat, &
talia studia pro sua beneuolentia suscipiat, foveat ac tueatur. Quòd cum
hactenus feceritis, in posterum etiam fore, minime diffidimus. Sed redeo
ad id, à quo prius ceperam uerba facere. Cum Deus omnipotens ho-
minem

minem condidisset ad imaginem suam, dedit illi ingenium rationis capax, & præscripsit certam normam uiuendi, secundum quam uitam suam tanquam ad regulam lesbicam dirigeret, atq; conditoris noticia fruere-
tur, ideoq; omnibus rerum dominum ipsum præposuit, ut in hoc pul-
cherrimo mundi domicilio, donec sibi uita concederetur, degeret iuxta
metas positas, quas exire inhibuit. Ornauit uarijs figuris ac rebus hoc
theatrum, posuit uestigia suæ providentiæ in gremio naturæ, omnia suo
calore ac spiritu uiuificans, & fouens ad hominis salutem, ut eum cele-
braret omnium rerum & conditorem & conseruatorem. Nam hæc Dei
imago est, quod à reliquis animantibus seiuncti, autorem recognosci-
mus, promptitudine sermonis laudamus, & quàm proximè accedentes,
oculis cordis noticijsq; animi igniculis quasi contuemur. Quam in no-
bis sapientiam menti instam, in corde accensam & uoluntate adproba-
tam, Spiritus sanctus suscitatur, mouet, auget. Hinc certi sunt gradus a-
ctionum, quæ à sensibus peraguntur, quibus si accesserit iudicium, regi-
tur omnis nostra cogitatio, certis & minimè fallacibus noticijs seu facibus
naturæ, quibus scintillantibus mens suo lumine rem oblatam agnoscit,
diuidit, componit, ratiocinatur actu reflexo, argumenta constituit &
demonstrationes ex ijs conficit, quæ certitudine sua uitam gubernant,
discrimen honestorum & turpium docent, omniaq; suo loco ac ordine
facienda expediunt. Hæc in natura integra ante lapsum fuerunt: sed
quàm turpiter excidit primus homo? quibus exutus est bonis & fa-
cultatibus? Quod malum propagatum serpsit in totum genus, omnia po-
tenti fato oportet obedire, omnia decrescunt & temporis successione mi-
nuuntur. Adde huc, quod radius sapientiæ diuinæ in nobis extinctus est,
iusticia Dei uiolata, uoluntas contumaciter repugnat, cor prauis affecti-
bus plenum, mens Cimmerijs tenebris offusa: Quæ mala tanta sunt, ut
nullius lingua eloqui, nec satis ore deplorari possint, undè propheta ex-
clamant, Cor hominis prauum ab initio: et in renatis aliqua manent pec-
cata. Quare non abs re fore arbitror hæc in memoriam reuocare, &
quod dicitur, sese ipsum noscere, quod ethnici sapientis duxerunt, & nos
bonæ mentis iudicium existimamus, ut uitæ regula sit pietas. Nam quem-
admodum ex lege peccatum, & iram dei cognoscimus, ita ex Euan-
gelio, iusticiam nostram, qua Deus nos iustos pronunciat per Christum
μετ' ἰθλῶ ἡγῶν ἰκὲ ἰθλῶ, qui pro nobis homo factus, mortuus est & re-
surrexit, sedens ad dextram Dei patris, inde ad iudicium uniuersale redi-
turus. Quod cum iam instet, & præ foribus sit, quemadmodum propheta
A ij uaticinantur,

uaticinantur, & ut ipse filius Dei prædixit, & apostoli manifestarunt, quodq; omnia indicia ac signa loquuntur, meritò ad iter accingimur, nosq; præparamus lectione prophetarum, qui & modum & circumstantias oculis nostris obijciunt, seuera obiurgatione & admonitione fideli, quam Christus repetit, cum uidentes talia nos iubet lætum caput attollere, quia salus nostra & liberatio ex hac lacrymosa ærumnarum ualle imminet. sed de his audiantur & legantur ipsi prophetae, ex quorum fontibus, qui sunt puri fontes Israel, melius est haurire aquam, quam ex cisternis ethnicis. Atq; hoc est primum doctrinae genus, expressum oraculis spiritus sancti, & ut prius est, ita præstantius, & maxime ad salutem nostram spectat. Nam ex prophetarum scriptis cognoscitur ueritas de Deo, & cursus totius uitæ, quæ benè regitur si accedat exterior cultus, & felix institutio, quæ lætum finem uitæ imponit cognitione æternæ beatitudinis. Alterum genus est doctrinae, quod Deus providentiam suam sparsit in totam rerum naturam, ut quocunq; oculos conuertas, omnia sint plena deo, diuini plena fauoris, regia maiestas illis, uestigia uiua, quæ nos externo suo motu incitant ad agnitionem conditoris, cum datur hisce spectaculis perfrui. Quid dicam de ipso studio philosophiæ ac uirtutis? quid de paruis illis artibus, quæ ministrant huic studio? ut quasi mutuas operas uideantur tradere, & tamen distincta sunt à Cœlesti doctrina, quæ harum adminiculo explicatur. His adde communem societatem hominum, quæ seruatur eo nexu, quo omnia firmiter coherent & copulata sunt, ut dicas sapientiam ludere in orbe terrarum, & delicias eius esse cum filiis hominum, ut ipsa de se apud Salomonem contestatum facit. Quare si intuemur totam hanc machinam, si cœlum & terram, omnesq; res nascentes, & hunc solem qui omnia uiuificat suo calore ac motu, omniaq; sua luce accendit: si deniq; ipsas operas hominum contemplamur, quæ non uarietas, industria, latens uis, & mysteria arrident? quæ ubertas & facilitas rerum nascentium? qualia hominum inuenta operosam naturam imitantium? ex quibus constat aliam esse naturæ uim latentem. si igitur uitam expetimus, quid maius erit, quid gratius, quid iucundius hæc cognitione, sine qua omnis pietas friget, studium uirtutis languet, iura silent, scedera rumpuntur, contractus præstari non possunt? si præstamus animantibus brutis, ut certum est, cur non delectemur ijs, animosq; nostros exeramus, ut ex paruis his animalculis discamus uulnera nostra sanare? ne elanguescat in nobis Dei notitia, studium uirtutis facebat, nullum sit discrimen honestorum & turpi-
um omnisq;

lum, omnisq; officij communicatio emoriatur. His de causis naturam
nostram exerentes, duce noticiarum exerceamur in his principijs, ut ad
altiora facilius sit aditus, ne more Cyclopi uiuentes, neq; orientem
neq; occidentem solem uideamus. Cum uero Sol iusticie, qui est Iesus
Christus saluator noster, cuius aduentus imminet, iam toti mundo splen-
deat, quem tamen mundus tenebris & caligine undiq; circumfusus, oculis
suis non potest aspicere, cuius senio accendimur ad quærenda auxilia
Dei, caput extollamus excussis nebulis & mole corporea, ipsum iam iam
uenientem oculis mentis intueamur, & parati uulnibus excipiamus. Ad
quod cum alij prophete, tum in primis Malachias aditum nobis facit, &
iter præparat pulcherrima sua concione, quæ ut breuior est & succin-
ta, ita melior & nostro seculo accommodata. Non procul esse finem mun-
di nihil non testatur, & uaticinia uatum, & miracula quæ crebriora
sunt, ut quotidiana quasi uilescant, & minus moueant sensus. Quare ei-
us concionem omnibus ita commendatam esse uolo, ut perfectam & ab-
solutam, omnibusq; numeris sibi constantem, (absit temeritas dicto, ne
quis de nostro carmine dictum putet) docet, hortatur, obiurgat, promit-
tit, pollicetur & exhibet, bonis quidem præmia & gaudia uitæ cœlestis,
iniustus pœnas & æternam damnationem. Hæc quem non mouent? quis
non expetit æternam salutem, ut bona assequatur, mala subterfugiat?
Sed hæc de his dixisse sufficiat, audiamus post modò ipsum prophetam
differentem. Reliquum erat ut V. M. studia hæc pluribus commen-
darem, sed non opus esse arbitror, cum intelligam, omnium animos, Viri
Ornatissimi, satis promptos & beneuolos ad promouenda studia pietatis,
quæ & huius & æternæ uitæ præmia merenter. Res ipsa sui ipsius lo-
cuples est testis, non indiget multis uerbis. Offero igitur & dedico
V. M. Malachiam prophetam carmine abs me redditum, sed nondum
elaboratum, idq; certo consilio, ut si uidero studium et operam meam alijs
placere, pergam & quod cepi absoluam. Non enim irritum fore labo-
rem puto, cum bono suscipiatur animo, ad salutem cum nostri tum Eccle-
siæ, & ad laudem scholæ in qua uersamur, cui emolumento esse ac deco-
ri esto animus. Nam nihil magis optandum esse censem, quàm aut
singulis, aut quàm plurimis iisdemq; bonis prodesse. Quapropter peto
& obtestor, Viri Vigilantissimi, hoc qualecunq; est carminis, in tutelam
Vestram & patrocinium suscipite, defendite contra morsus sycophantæ,
cui pro V. M. autoritate facile resistetis. Ego quod liberalis est animi,
de omnibus honestè sentio, qui uirtutis sunt studiosi, quiq; pietatem uitæ
nostræ

nostræ magistræ colunt, sine qua eruditio labascit, prudentia humana tragicos exitus sortitur, et omnia quæ suscipiuntur sinistrè cedunt. Quibus, si nobiscum altius recordemur, adducimur & impellimur nunquam non Deum sollicitare, ut ipse omnes nostras actiones ad laudem nominis sui diuini, nostri incolumitatem, Ecclesiæ & Reipublicæ salutem, dirigat, regat, moderetur. Quisq; suæ uitæ fragilitatem consideret, cum nihil certius sit morte, nihil autem incertius ipsa hora mortis, ut ait Bernhardus: Certum est quod moreris, incertum est quando, aut quomodo, aut ubi: Quoniam ubiq; te mors expectat: Tu quoq; si sapiens fueris ubiq; eam expectabis. Hæc inquam moueant nos, ut de Viatico simus solliciti, & quidem eo, quod non impediat aut oneret iter ingressuros. Deus omnipotens confirmet, quod operatus est in nobis, & ex his periculis, nos uiatores in hoc mundo perigrantes, ad se reuocet, ac membra cursu longo defatigata sua gratia reficiat. Quod ut consequamur, & ex hisce compedibus liberemur (Nam uita est quasi horror carceris) Te Domine Iesu Christe salus nostra & redemptio petimus, ades nobis, rege ac tuere nos, & libera ex omnibus malis, fac nos hæredes uitæ iuxta spem indubitatam, quæ nunquam frustrata est credentes. Da nobis spiritum tuum sanctum, sine cuius numine nihil est in homine, ut hoc tempore Ecclesia canit, is nos in omnem ueritatem deducat, & accendat motus uerè congruentes cum uoluntate diuina in lege & Euangelio patefacta, quæ hoc die effusione sacri numinis confirmata est, & in nobis uegetatione ille arcanoq; halitu & ui latenti exeritur, unde regeneramur ac iusti sumus, merito Christi, ut in publicis concionibus ex uerbo diuino audimus.

Bene ac feliciter ualeat V. M. atq; hæc ut equi consulatis
etiam atq; etiam peto, omnibus studia mea & humanitatis officia defero. Nißæ ex Collegio
D. Iacobi die Pentecostes, Anno
salutis, M. D. LXXII.

V. Magnific.

addictis.

Paulus Siberus.

MALACHIAS
PROPHETA CAR-
MINE REDDITVS, AVTORE PAV-
LO SIBERO NEOPOLITANO FRANCO.

ARGVMENTVM.

CVM Darius Histaspis rex persarum, qui Cambysi successit, secun-
do anno sui regni concessisset redditum populo Israel ex Babilone
in Iudæam, & dedisset opes atq; facultates ad restaurandum tem-
plum, Aggeus & Zacharias de opere absolviendo populum cohortati
sunt. Cum igitur iam staret templum, mittitur Malachias propheta, qui
eos exhortatur ad cultus Deo debitos, & ad sacrificia in lege mandata,
& de scelere uitando. Cuius concionis partes due sunt: prima est obi-
urgatio populi, quod Dei beneficia in se collata sint obliti, quodq; pro
tantis donis ingrati & contumaces, Deo sese opponant, non faciant offi-
cia sue uocationis, nec præstent honorem Deo, qui eos condidit, ducant
uxores ex alienigenis, et q; grauißimum sacrificia non pura impuris ma-
nibus offerant, contra legem Leuit. 22. & 23. Vnde merito illos manet
pœna, quia non conuertuntur ad Deum, ideo nec Deus ad ipsos conuer-
titur. Altera pars est de duplici aduentu Christi, qui uenturus erat stan-
te adhuc hoc templo, q; quidem aduentus est humiliationis Messie in car-
nem, quo nascitur homo Bethle: posterior erit glorificationis, cum ueniet
iudicare totum genus humanum, ut ipse de se inquit Luce 21. Et tunc ui-
debunt filium hominis uenientem in nube cum potestate & gloria ma-
gna: & alibi sæpè repetitur. Semper autem addit propheta commi-
nationes, & exhortatur populum ad timorem Domini, & ueram fidem,
que ante consumationem huius seculi sonabit in toto mundo, & in æter-
num coram Deo lucebit, cum ipsum à facie ad faciem cernemus.

Vltima Iudæis Malachias fata minatur,
Cum canit accessum gentibus esse nouis.
Edocet, obiurgat, pœnas indicit & iram,
Iudicij summum regna futura diem.

B CAPVT

CAPVT I

ἡ τὴν ὁμοίαν,
que habet
propositio-
nem more u-
sita o pro-
phetis.

Narratio.

Amplificatio
allegorica.
Rom. 9.

Predestina-
tio non impo-
nit necessita-
tem.

Confirmatio
ex ἱεροσολο-
γία Nabu-
chod.

A loci descri-
ptione.
ὡς τὸ ὄνομα
σὶς

GRande laboris onus Malachiae concio vatis,
Cum pius exponens diuini oracula verbi,
Haec dedit ad patulas Israelitidos aures
Gentis, et à Domino commissa negocia rerum
Expedijt, referens acceptum munus ab alto,
Voce sonante Dei fidos cumulauit honores.

Sic ait omnipotens, terras qui numine complet,
Qui regit astra Deus caelum labentia circum:
Vos ego, vos o lecta manus iuuenumq; senumq;
Vos ego dilexi, succensus pectora flammis
Spirauit patrios ignes. vos his super ausi
Dicere: quis tuus iste furor? renuistis amorem
Tàm placidum. quò turba ruis molita periculum?
An non Isacidæ fratres, quos Isacus ambos
Thariadæ natus de semine creuit eodem?
Hei crudelis Esau cum miti fratre Iacobo.

Et tamen hunc arsi, sed contrà fluctibus illum
Percitus irarum sum bile secutus acerba,
Infestis odijs quum mens accensa flagraret.
Nam loca vastauit liquido vicina Sciro,
Quà caput intonsus longè mons exerit altum.
Fertilis hæc regio fuit olim, vindice dextra
Ipsam ego pulueribus turbavi: funditus ima
E radice iacet seges excisa aspera sentum,
Et lapidum latè per agros, foedissimus agger.

Non

Non hic vernantes campos, florentia non hic
Prata vides, nec qui proscindat vomere terram.
Hanc colit, immites his vallibus ipse dracones
Venatur, spolijs onerans sua prædia tantis,
Quæ legata sibi bona degener occupat hæres,
Serpentum latebras, densissima lustra ferarum,
Quæ proiectus humo, Coluber per iugera vasta
Voluitur, et spiris contortus sibilat ore.
Forſan at ipſa ſuis de me Nabathæa queratur?
Acer Idumeus mihi dixerit: ocia nobis,
Ocia præripuit, terris pax alma fugata eſt.
Finibus expulſi loca per deſerta vagamur,
Indè reuertentes ſuperas educta per auras
Mœnia ponamus, ſummas ad ſidera turres,
Quæ deſtructa iacent telluri æquata ſupinæ?
Hæc exercituum de ſe Deus ipſe profatur,
Verba ſuæ vocis, magni moderator olympi.
Fundamenta licet iaciant, et culmina ponant,
Non equidem durare ſinam, radicitus omnem
Euertam molem, congeſtaq; teſta domorum,
Quæ ſubitò flammis auidis populanda dabuntur.
Impietatis eos tùm fines accola dicet,
Ac velut infectos fugiet lethalibus auris,
Incola ridetur memorem ardeſcentis ob iram
Infeſtus, quam non venturis eximet annis
Rerum tempus edax, dum mergit in æquora curruſ
Sol reſplendentes, dum candida Luna refulget,
Fulmen in exitium tibi feruet et ira tonantis,

ἀντιπόρο.

ῥα.

Mimesis.

Permissio.

B ij

Gens

Gens infensa Deo, duris obnoxia fati.
subiectio. **Talia tu cernes oculis et lumine fixo,**
Ac rigido tecum dices sub pectore, magni
Magnificata Dei Maiestas ampla feratur:
Rura per Isacidum confinia regis Idumes,
Semper honos, nomenq; Dei laudesq; sonabunt.
Exaggeratio **Carum progenies genitorem gnatus amore**
argumento à **Affectu sequitur placido, dominumq; minister.**
minore ad **An non vester ego pater? at quò gloria nostra,**
maius. **Quo redit? anne alius tantos sibi sumit honores?**
Si vocor et cœli dominus, terræq; marisq;
Quis timor aut pudor est dictis reuerentia nostris?
Sic Deus altitonans fatur fortissimus Heros.
Apostrophe **Et vos pontifices, quos nostra oratio spectat,**
primam ob= **Turba sacerdotum qui diuim sacra perossi,**
iurgat sacer= **Despicitis nomen latè rutilantis olympi,**
dotas, Dein= **Et tamen abnuitis, si crimina quæro professos,**
de populum. **Nec pudet, in quo vos suspectos esse putetis,**
Explorare vias, irrarum et quærere causas.
Narratio. **Corruptam sacras cererem libatis ad aras,**
Pollutos panes et farra siligine multa,
μείωσις. **Minus inornatum, tumido sic corde profati:**
In quo polluimus donata altaria templi?
παλιλογία. **Scilicet impuram quòd mensam dicitis, et quòd**
Impositum quodcunq; manu tractastis iniqua.
Nam si forte mihi faciat quis lumine casum
Ad templi mactando fores, nonne ille piaculum,
Nonne malum facit? ô sacri turpissima tabes.
Si pedibus



Si pedibus captum? si vix benè membra trahentem,
 Hei marcescentem vitta malè cornua vinctum?
 Nonne malum sacras (scelus ingens) ille per aras?
 Hoc agèdum iam (si qua tibi propensa voluntas)
 Ipse tuo libato duci, si munere forsan
 Placatus te suscipiet modò dona ferentem,
 Aut si respiciet faciem modò fronte serena.
 Hæc ait excelsus, qui nutu cuncta gubernat.
 Huc huc ferte Deo verarum carmina laudum,
 Vota precesq; Deo gratissima munera ferte,
 Ut trepidis in rebus opem ferat, holtia pinguis
 Exeat è thalamis medio de pectore vestris.
 Placate immites vultus, rugasq; seueras.
 Nam vos prima mali, qua tantam exarsit in iram,
 Vltima vos estis tantorum causa laborum,
 A vestris manibus multam petet arbiter æui,
 Iudicium sumet, nisi vos respexerit vltro.
 Hoc Deus irarum commotus fluctuat æstu.
 Quis numero in tanto, qui sponte reclusit vnquam
 Ostia, vel stabula alta gregum, quo victima sacris
 Exisset? seu quis fumare altaria fecit,
 Ignibus excitis tenui trepidante fauilla?
 Non mihi deliciae in vobis, non vlla voluptas.
 Hæc Deus altitonans aio, non munera dextra
 Abs vestra accipiam: neq; enim me munera placant,
 Solis vtramq; domum siquidem mea gloria complet.
 Phœbus ab Eoo quo surgit cardine mane,
 Serus in Oceani quo proluit amne iugales,

Concessio.
 Zelotipia.

Exhortatio,
 q; cultus Deo
 placeat.

Ratio ira.

Exaggeratio
 ingrati-
 tudinis & socore
 die.

Reiectio.

Excursus in
 laudes Dei &
 circumstantijs
 Psal. 12.

B ij

Nomen

Nomen grande meum sonat, admirabile dictu,
 Quo se cunq; polo tollit plaga laudor utroq;
 Gentibus in medijs me digno cultus honore.
 Quis locus aut regio nostræ non carmina famæ
 Continet, aut eadem quo sidere conticet? ingens
 Debitus ille Deo cultus: mihi sacra parari,
 Offerriq; aris libamina pura, deamq;
 Torreri flammis, et pingues thuris odores.
 Magna mea est virtus, nomenq; et summa potestas
 Gentibus in cunctis: at vos fœdastis iniqua
 Voce redarguti, quòd fasto dicitis ore:
 Contaminata Dei mensa est, et quidquid in illa
 Ponitur appositumq; fuit, res nullius usus,
 Suspectæq; dapes: Cœlo qui immittitur alto
 Vulcanus falsò rabidis vorat omnia flammis.
 Præterea, quæ tanta fuit dementia mentis?
 Dixistis studijs et magno parta labore,
 Adflictis pariter rebus cumulata, quid istud,
 In vitam efflantes anima duxistis anili?
 Ecce Deus sum vester ego, vos ista rapinis
 Per phas atq; nephas legistis, et ara calescit
 His mea suppositis. luxato corpore claudum
 Numquid ego excipiam vestro de sanguine munus?
 Non faciam, sum iustus enim: maledictus es omnis,
 In stygias mergendus aquas, tu quisquis es ausus
 Insidijs fraudare, potens cum diuite cultu.
 Cuius mille greges errant in montibus altis,
 Quiq; virum caprum nolit mihi ferre bicornem.

Vota

Vota sacris faciens, balantem debile corpus
 Immolat, ardenti quem pestis decoquit igne.
 Ipse ego sum Dominus, rex magnus, et omnia cōplens *Clausula*
 Numine, cui paret cœlestū exercitus omnis:
 Gentibus horrendum nomen sonat astra tenentis
 Lucida, quod populis illustre coruscat amicis.

CAPVT II

IAm verò hæc celeres mea defero dicta per auras,
 Vos ego compello, vos alloquor ore, litantes
 Sacra Sacerdotes, plebs iucundo ebria luxu.
 Si quis noluerit mea dicta audire rogatus,
 Auribus aut patulis admittere fortè recuset,
 Ima siue memor non mente reponere fixa,
 Efferat vt nostrum diuino nomen honore
 Gratus, et id celebrans extollat ad astra polorum:
 Vera loquar, vestris immittam desuper oris,
 Arboribusq; satisq; luem de vertice summo.
 Omne neci dedam pecudum, genus omne ferarum.
 Lætifer annus erit, quæ priscis ante diebus
 Ipse meo nutu saluabam, tabida morbo
 Exuram, nec messis erit, nec vinea prægnans.
 Atq; ideò, quia causa mali vos estis et iræ,
 Quòd nemo voluit mea iussa capessere vestrum,
 Propter id infensus vobis, de munere vestro
 Inflexum ecce bouis mactati pectoris armum,

*Apostrophe
 ad sacerdo-
 tes. Leuit. 26.
 Deut. 28.
 Narratio.*

*Occupatio
 cum distribu-
 tione.*

*Ratio à causa
 impulsua.*

Brachia

Allegoria.
notat opera
sacerdotum
& ea discer-
nit.

ὅτι τὸ ὄψ
σις.
προσώπῳ
ὡς ἱε
μιστρί
uerbi,
qualis esse de-
beat.

Antithesis.

Brachia dextra feram conspergens lumina vultus,
Et facies vestras squalentes stercore fædo.
Huic eritis similes, et quos mactatis honores,
Tempore solenni tum confundentur ab ipso.
Stercus enim vestros fædabit puluere vultus,
Cùm præfaga mali mens verum nesciet vsum,
Et cultus et quæ iussi mandare referre,
Scilicet vt vinculum iurati fœderis essent,
Quod pepigi tecum Leui tribus inclyta, pactum
Vt foret æternæ pacis, vitæq; futuræ.
Illis incussi trepidum sub corde timorem,
Et formidabant gelido ossa labantia motu,
A facie nostri, qui concutit omnia nutus.
Eius in ore sedens lex immaculata sonabat,
Lex pia, lex iustiq; tenax et conscia veri,
Vlla nec improbitas labijs inuenta latebat,
Iusticiam coluit, pax illi candida curæ.
Pax, pietas, recti studium, quæ ponè secutus,
Auertit multos fastigia iniqua tenentes.
Ceu septo in labijs oclusa oracula diuûm
Custodire sciens, quoties occasio fandi,
Promserit ore pio, vocem de pectore soluens.
Huius tu verbi Malachias nuncius esto:
Sic exercituum Dominus tibi præcipit Heros.
At vos labentes cessistis tramite recto,
Et pesum multos traxistis ad auia lustra,
Voce sonante mala: sic rupto fœdere legis,
Infregistis idem pactum de munere Leui.

Hæc ait

Hæc ait astrigeri summus moderator olympi.
 Hinc ego subuectos in tanto culmine honorum,
 Demissos imam ieci telluris in aluum.
 Omnibus expositi telis, ô fabula vulgus,
 Inter honoratam media sub plebe coronam.
 A recto siquidem memini discedere calle
 Vos contemplari, malè decidendo labores.
 Egregias hominum facies, ex lege sequenda
 Dicitis iniustas accepto munere causas.
 Dicite, si à prima reputetis origine gentem,
 Num pater vnus erat nostrum, quo stirpe creati
 Nos genus ac soboles exordia traximus? an non
 Omnibus est, hominum sator, et Deus vnus et idem?
 Cur igitur, cur quisq; suum (quæ caussa furoris?)
 Despiciamus fratrem, fratrum sua viscere natus,
 Fœdera rumpentes, quæ fecit maximus olim
 Ille Deus patrum nostrorum patribus almis?
 Degener exiit transgresso limite metas
 Iudas, et Iudæa frequens confusa nefandum,
 Thariadæq; Palestini, Solymæq; superbæ.
 Contaminavit enim leges et sacra tonantis
 Improbus exosus Iudas, quæ condidit autor.
 Nam sibi coniugij, pertæsus vincla prioris
 Consortemq; tori iunxit, propriamq; dicauit,
 Corpore præstantem abiecta de gente puellam,
 Patre alienigena natam, illicitos Hymenæos,
 Quæq; Deos falsos idola nephanda colebat.
 Funditus excindat malesana mente calentem

A consequen-
tibus.

Ratio.

permissio.
Matth. 13.
Eph. 4.

Ab exemplis.

παλιλο-
γία.

votum et im-
precatio.
Amos. 5.

C

Ipsè

Ipsè Deus, calidi furtiuos pectoris ignes,
Patrantem facinus iuuenemq; virumq; magistrumq;
Et puerum, si quando facit pro crimine ad aras,
Vsq; Iacobæa fuerit quò sede superstes,
Sacra ferens templo. Sed iam (si dicere fas est.)

Comparatio
ex collatione

ὕψις ὕψω /
σις.

Huic par grande scelus moliti, munera dudum
Inflatu et largo lacrymarum fonte tulistis.
Flumine manârunt altaria tincta profuso,
Mugitu vox dira sonans, duriq; labores,
Vt velut obstrictus tandem succurrere nolim,
Quo vos respicerem, et ques me donatis honores,
Fœda ministeria implacabile pondus ad iram,
Quæ dextra mihi porrigitis. Quid? an insuper orsi,

Antipopho-
ra.

Allegoricè
referuntur ad
Ecclesiam, ne
quis eam de-
seret.

Exigitis quæ causa siet? Quia prouidus ingens
Testificatur opus Dominus, de fœdere factò
Inter consortes, quos mutua cura cœrcet,
Teq; tuanq; tibi primæuo flore inuentæ
Viuaçi iunctam vinclo, duo corpora firma
Copula, mens eademq; et par coniunctio vitæ.
Quam nunc decrepitam, vegetus cùm deficit humor,
Forma cadit, vires languent, pallor notat olim
Ora serena, fugas squallentem tempora circum,
Sedibus è proprijs, tædas exose iugales.

Affectus ma-
ritalis.

Anne hæc ipsa tori socia est? ô dulce leuamen
Curarum, vitæ veteres oblita labores?
Hæc est illa viri consors, hæc fœderis vxor.
Præsentis comes illa boni, comes illa futuri.
An non vnus eos, fabricator maximus orbis,

Ambos

Ambos formauit verbo aspirante potenti:
Hæ sunt reliquæ cœlestis imago parentis.
Vna igitur virtus, ambobus spiritus vnus,
Ergo Dei semen dulcis commistio quæret.
Quarè agite, ô cari, flammam retinete sagacem,
Ignis in vxorem flagrabit mutuus ardor.
Cui tenera quondam cupidi lanugine Zonam
Soluistis, seruate decus castumq; pudorem.
Si forte ingruerint damnosæ semina litis,
Aut odijs animum bilis si ex asperet ægrum,
Mittite conscriptis tabulis pro lege libelli,
Neu deserta vagetur: Et hæc lex foederis esto.
Sin secus apparebit iners, et flamma mariti
Frigidulo sub corde tepens, ceu vestibus atris
Impositum cernes splendescere virus ab extra.
O igitur flammæ animo spirate calente
Pectora fida viri, sit mutuus ignis et ardor,
Vxores thalamo ductas retinere priori.

CAPVT III

Solliciti res plena fuit, res magna laboris
Vox ea, quam tumido rupiltis pectore fati,
Vox inuisa Deo. Sed dicitis improbus iste,
Quis labor iste fuit? sic fatis omnia casu
In peius ruere, et mutato cardine volui.
Qui mala cunq; facit parvæ turpissima vitæ,
Ille bonus fortisq; et iustus habebitur ille
Ante tuos oculos, facti temerarius autor.

B ij

A causa effi-
ciente.

Acclamatio
ad prestan-
dam fidem.

Epilogus &
dilemmate.

Clausula.

ἡ ἀγγελία
τῆς ἀνα-
γγελίας
τῆς παρουσίας
τοῦ Χριστοῦ.

Propositio.

Hæc

Hæc pietas, et prisca fides, Deus arbiter et hæc est
Iusticiæ facies, et honestæ regula vitæ et
Iudiciumq; tuum, terræ quod vindicat orbem et

Narratio.

Præcursor
angelus.
Matth. ii.
Mar. i.

Ecce tibi agniferum clamantem voce ministrum

Aligero similem iuueni, qui nuncius ibit

Ante meam faciem, præmitto præpete cursu.

Ille suo præceps se corpore littora circum

Perdeserta volans humilis feret, ille parabit

Tentamenta viæ vestigia prima sequenti.

Prima Des-
criptio Chri-
sti humilita-
ti.

Nec mora Saluator tum præstantissimus Heros

Ponè sequetur ouans, gradibus sublime subibit

Templum ingens, opulentum et diuitem cultu.

Ille potens animis, et quem desyderat omnis

Vis animæ, lucis fontem vitæq; datorem:

Angelus ætherea de sede salutifer ille est,

Quem cupitis pariter, votisq; optatis amicis.

Alter, Chri-
sti glorificati.
ἐν ἡμέραις.

Ecce venit propè fortis adest, sic fata recludunt.

Quis verò aduentus, aut dicti temporis horam et

Quis sic diem fando valet exæquare supremum et

Notatio no-
uissimi diei.
Psal. lxxi.

Aut lustrare oculis reducem stellantibus altè,

Cùm ruet illapsus subito cum fulmine cælo:

Non secus ignis abit flamma populator edaci,

Omnia conflagrans lato quæ corripit haustu:

Aut decocta fluens liquidis humoribus herba,

Qua madidus fullo vestes abstergit, et vndis

Abluit immundas, subigitq; premitq; lauatas.

ὅτι τὸ πῶς
σὺ

In solio residens Tyrio spectabilis ostro,

Annixus conflabit opes argentea dona.

Suspirans

Suspirans ignes, teq; ô Leuitica proles,
Te mundam faciet, fuluum purgatur vt aurum,
Argentumq; micans, furnoq; probabit eodem.
Tunc sua dona tibi cumulabunt laudis honore,
Victima pinguis erunt sacras holocausta per aras,
Iusticiæ pia signa nouæ, tum deniq; Iudæ
Respicias gentem clemens miserate labores,
Et Solymæ populum, qui talem gratus honorem
Præstat, qualis erat seclis florentibus aureis,
Cum magnus spac̃s distinctis curreret annus,
Et Sol auricomus iuueni splenderet orbi.
Extemplo accedam veterem mea corpora formem
Indutus, vos alloquens dignabor amicis.
Testis ero subitus, quæcunq; venefica dicto
Causabor, tristi decidam protinus vrna,
Quod ficti prauiq; tenax mens fecit, et ingens
Turpis adulterij facinus, periuria, fraudes,
Et quemcunq; iuuat damnoſa calumnia linguæ.
Quiq; negauit opus facienti reddere munus
Defraudans miserum, qui sorte cõercuit ægra
Immunes viduas, et passos multa clientes.
Deniq; qui pressit peregrina gente profectum,
Nec toto timuit dominum de corde potentem.
Hæc sunt scelerum pœnæ, quas vindice dextra
Exercet iudex summus fandi atq; nefandi.
Nanq; ego sum Dominus, qui non immutor ab illo,
Nec tu progenies quondam dilecta Iacobi
Ignibus absumpta es, veteri cum more parentum

Exclamatio.

A consequen
tibus.

Aureum se
culum.

Decisio à for
ma iudicij.

Confirmatio.

C iij Impies

Impietatis iter, malè limite lapsa teneres,
 Tempore quo primum legitima iussa relinquens,
 Stulta sequebaris vetiti vestigia cursus,
 Nec quenquam vestrùm custodia sedula mouit.
Exhortatio. Hoc age, praua cohors, huc mente reuertere demens.
Intentio. Maturate viam, gressum reuocate, quid obstat ?
Zach. 1. En ego conuertor, simili pietate vicissim
Contestatio. Ad vos illabar: sic stat sententia dicto.
subiectio. Vos verò contra, quònam discessimus à te ?
 Quæritis et causas reditus. si numina diuum
 Stipitibus figunt homines, si conscia fraudant.
 (Heu stirpem inuisam) quid me configitis ? et cur
 Dicitis: an potis est afflictum reddere numen ?
inuersio. In decimis, et primitiis violentia vestra est.
 Hæc igitur vosmet malesuada penuria perdit
 Dira fames, ex quo substantia verritur omnis.
inrepatio. Indomitum vulgus, me me gens improba tangis.
 Rumpe moras heu tarda graues, iam voluitur annus
 Horrea nequicquam plenis mea messibus implet.
à tempore. Ferte mihi culmos pingues, lætissima farra,
 Quo rubicunda ceres caua compleat horrea, parto
 Ut fruam, et sumptu sit diuite regia læta.
concessio. Explorete animos, quid possim conditor orbis.
 Tunc noua tempestas, et cœli mobilis humor
 Stillabit, densa tùm nube parabitur imber,
ὕψις / ὕψος / ὕψιστος / **ἕψος**
 Omnia misceri vento nymbisq; videbis,
 Immittiq; imbrem largum, pluiasq; sequentes,
 Et magnus magnæ se condet matris in aluum,

Humidus

Humidus æthereo descendens iuppiter axe,
Aera quò metuas confundi protinus omnem.
Irrorabo solum latè pluuiialibus austris,
Donec operta seges plenis adolescat aristis,
Votaq; solliciti soletur auara coloni.
Mensis erit diues, bruchum prohibebo voracem,
Semina ne vastans magnum populetur honorem
Agrorum, morsu depascens gramina læta,
Quo fruges viridi fractæ moriuntur in herba.
Hunc ego propellam vestros ne demetat agros.
Terra ferax vix, validas multoq; fluentes
Sufficiet Baccho vites, vindemia spumans
Fundet ceu riguo manantem fonte Lyæum.
Sic ego ditabo magno cum fœnore terram.
Hinc vos felices, ô terq; quaterq; beatos
Dicent, quos ambit spaciosi circulus orbis:
Vos mea lecta manus, mea summa potentia regni.
Hæc pater altrigeri dicit fa brefactor olympi.
At contrà verbis resecuti triste quærentùm
Inualuère minæ, sunt cœli sidera testis.
Talibus exorsi: quo te sermone molesto
Risimus? an non grande nefas? has spargere voces:
Vanus es incasum qui munia magna facelsis,
Fœda micisteria æternum seruire tonanti.
Quid refert porro mandata capessere diuùm?
Aut medij cursus callem tenuisse beatum?
Horum nos olim fuimus custodia firma
(Nam meminisse iquat) currentes tramite recto

Copia fru-
menti & vi-
ni signa fer-
tilitatis.

Votum.

Antithesis.
Iob 21.

Mimesis.

Quiq;

Quisq; ferebamur, vestigia nota sequuti,
Ante tui tristes confusi lumina vultus.

Inuersio.

Phas erit ergo bonos elata mente superbos
Dicere, qui sese extollunt, ceu vertice coelum
Quassantes, tumidi dum spirant pectoris haustus.

Concessio.

Euge placet, siquidem post tot mala crimina rerum,
Culmina magnifico duxerunt splendida luxu
Arces ad superas, nullo discrimine honesti.
Tentauere Deum cuius sunt munere salui,
Instinctuq; dei vegetantis pectora, passim
Hic ad vicinos rumor manauit, et aure
Attendens Deus obseruauit, et ipse notauit
Scripta suo digito veterum in monumenta librorum.
Scilicet vt reputans suprema luce diei,
Singula commemoret iustis, qui rite verentur
Nomen honoratum parris omnipotens olympi.
Semper erunt (ait ipse Deus) mihi cura peculi,
Lecta manus populus vitæ optatissimus hæres,
Tempore iudicij cum summa illuxerit hora.

α δ ζ.

*Comparatio,
qua affectum
suum exprimit
Deus.*

*Discrimen ho-
nestorum &
turpium, boni
& mali.*

Ac veluti carum genitor sua viscera gnatum
Adfectu sequitur placido, cum iussa fidelis
Expedit, et monitis paret: sic mente serena
Ipse meis parcam sua vota ferentibus vltro.
Huc age turba frequens cupidis illabere votis,
Propediem cernes quanto discrimine distent,
Impius et iustus, quiq; aspernantur honores,
Quiq; Deum vera obseruant pietate potentem.

CAPVT

CAPVT III.

ECce dies caelo venit illuctabile tempus,
Summa dies candens ardentis more camini.
Non secus ac stipulae trepidae, quas Solis ab aestu
Ignis lambit edax, exhaustis ore medullis:
Sic malus omnis erit, facinus qui perpetrat audax,
Et comburet eum face lux incensa sagaci.
Hoc virtute potens ego testor, auara cremabit,
Nec sinit esse super frondentes arbore ramos,
Radicemue ima tellure, aut germen in herbis.
Et nouus exoriens caput efferet igniferum Sol,
Sol noua iusticiae lampas phoebæa refulgens,
Exorto iubare auricomis splendebit ab alto.
Ille Deum nitido irradiabit ab axe timentes,
Ille suis radijs stellanti lumine purus,
Ceui rapidis velox pennis super aëra vectus,
Ascendet medium quod continet omnia caelum,
Vnde suum membris immitet ab orbe vigorem.
Egredere, obscuro lætans è carcere gressum
Turba fer, vt vitulus trepido qui concitus ictu,
Lasciuitq; salitq; fuga, sic mota ferere,
Vt stimules pedibus fracta ceruice malignum
Ob scelus infandum: sub planta turpe iacebit
Puluerulentus humo pondus, foedumq; cadauer,
Vt cineres vsti, summo cum canduit igne
Lux suprema polo, rerumq; nouissima finis,
Quam Deus imponet fabricæ manus vltima mundi.

D

Hæc

Propositio.
Descriptio
extremi iudicij,
à tempore
Narratio &
simili.

Contestatio.
ὕπτιύω /
σις.
sol iusticiae.

Ab effectu.

Acclamatio
& simili.

ὕπτιύω /
σις.

Intentio.
Exod. 20.

A persona.

Ab antecessoribus & signis.
Matth. 17.
Mar. 9.

Hæc iubet ignipotens, mentem reuocate priorem.
Quæ mandata dedi vestras referenda sub aures
Mente putate pia cum totum fulgure cœlum
Intonuit Sinai liquido sub vertice flagrans,
Quæ fida accepit dextra meus ille minister
Amramides Moses, supremi iussa tonantis,
Iudicij leges oracula numinis almi.

Ecce dies alto quàm venerit, ante prophetam
Vatidicum Heliam mittam, qui voce canora
Terrificum tempus non euitabile fatum,
Magnaq; cum magno dicet terrore per orben.
Ille suis franget dictis præcordia dura,
Namq; patrum pectus mulcendo ad pignora vertet,
Ne forsan veniens contagia tristia fundam,
Terribilis lato feriens cum fulmine terram.

H Y M N U S,
DE REGIO CHRISTI INGRES-
su in Hierosolyman.

I A m p i a de summo se Gratia mittit olympo,
L u x n o u a de Solymis templis semel orta regulget,
Q u e m v a t e s o l i m p r æ d i x e r a t e s s e f u t u r u m
C h r i s t u s a d e s t, t e r g o l e n t è g r a d i e n t i s a f e l l i
V e c t u s, & e x c e l s a s u b i t a r d u a m o e n i a v o c e.
H u c a g e l æ t a s o r o r l i q u i d a d e r u p e S i o n i s,
E x u l t a n s S o l y m æ ô n u r u s, h u c m e a f i l i a g r e s s u m
H u c a g e d u c c e l e r e m, q u i n c u r s u p r o t i n u s o m n e m
A b r u m p i s d i l e c t a m o r a m ⁊ t u u s e c c e R e d e m p t o r,
A n t e s t a t e c c e t u u s p o r t a s S a l u a t o r, & a l t a
M o e n i a c o n t i n g i t s a c r æ f e l i c i a p o r t æ, I l l e

Ille tuus Rex lætus adest, & in agmine turbæ
Hymnisona superas resonantùm voce per auras,
Æterni incedit regni fortissimus Heros.
Salve sancta dies, lux ò gratissima terræ,
Qua Deus humano generi demissus ab alto,
Indutus lutea se pelle immiscuit ipsum.
Salve læta dies, niueis decoranda lapillis,
Qua nouus ingreditur rex omnipotentis olympi,
Nostræ massa rudis carnis, sine crimine princeps,
Inuehiturq; asino, pompaq; adductus ouantùm
It comes in turba. Sit honos, sit gloria cœlo:
Sit tibi Christe decus, tibi laus sit Christe redemptor,
Qui modo victor ades, modo summa palatia linguens
Intras ima sacram per uiscera virginis aluum.
O nimium felix, quæ te comitatur euntem
Coetus blanda cohors, ò terq; quaterq; beati,
Quas nouisse datum est, & fidis credere verbis
Munere concessum vatis loca sacra tenentis.
Non tu dignus eras, rerum ludæe sacrarum
Æmule, non tantas potuisti noscere causas.
Messiæ siquidem noua regna, & vana per orbem
Imperia, & vitæ sperabas secla prioris.
Non ita fata volunt, sic rerum vertitur ordo:
Victima pro nobis moriatur, seq; sub ipsa
Ostentans humilis forma, sub corpore serui
Ipse suum corpus tradat, vitam q; profundat:
Christus Homo Deus, & vitæ reparator ademptæ,
Hanc pater ipse viam voluit Deus esse salutis.
Non tibi pomposas aulas, non regia tecta,
Non dedit imperium, quod latè finiat orbem,
Sed noua læticiæ, non finitura per æuum,

Gaudia

Gaudia non linguis memoranda, nec ore diferto,
His Deus ornatum donis Heroa potentem
Mittit, & hæc donat regem regalia sceptrâ.
Hac pompa ingreditur, pando sublatus a sella,
Inceditq; gradu tardo, gaudetq; sequenti
Pullo asinæ, qui ponè viam vestigia tentat.
Ante it & sequitur populus, qui voce canora
Vota cateruatim promit, resonatq; per auras:
Sis benedicta Dei proles, & stirpis Iessæ,
Quæ venis excelsum demissa per æthera, Princeps
Et maris & terræ, & quod continet omnia cœli,
Pars oleas gestant dextra, pars robora palmæ,
Prosternunt alijs vestes, & frondea ferta
Sylvarumq; decus, sectos & ab arbore ramos.
At nos dulce melos, grati tibi fundimus hymnum,
Nos firmata fide ferimus tibi pectora Christe,
Christe triumphator, nigri domitator auerni.
Suscipe prostratos demissa voce precantes,
Et sua voluentes genua ad sacra templa deorum.
Has virides oleas gerimus, pacemq; rogamus
Et vitæ requiem, qua mens sibi conscia recti
Gaudet, & hac fruitur lustratus numinis aura.
Iam recreatus homo, motus & pectora pura,
Atq; novos animi versando concipit actus.
Namq; vt odoriferæ laudatur succus oliuæ,
Mobile quod corpus, quod reddat agonibus aptum,
Viribus & vegetum, quod vulnere cruda relaxet,
Leniat & placidè sanet, tollatq; dolores;
Sic animum recreat diuini concio verbi,
Viuificat pauidas mentes, & lege necatas,
Abstrusasq; orco, cœlo penitusq; remotas.

His

His benè contritis, medicinam sancta virago,
Iustificamq; Fidem monstrat meritumq; Tonantis,
Gratia coelicolas inter dulcissima virgo.
Præparat hæc animos, & adaptat pectora pugnae,
Et clypeo pectus defendit, & ignea constans
Excutit hostili trepidantia spicula dextra.
Has tibi victrices palmas, dextramq; fidemq;
Christe damus (tua namq; est rex victoria Christe)
Hæc te digna manent victorem insignia regem,
Vt palmæ frondes oracula certa triumphi;
Sic oleæ pacis sunt debita signa petita,
Quo grauius premitur magis ipsa resurgit, & altum
Palma petit, terræ subducto pondere pressa.
Et licet inuoluas scopulos, syluasq; sequaces,
Fortius assurgit, moles euincit & omnes:
Eluctando ruit victrix ad culmina cœli.
Ac quamuis humilis, superat tamen ardua: sic tu
Christe triumphator gestas victricia signa,
Signa tuæ dextræ, quibus infera regna domasti,
Et superas victor redijsti lætus ad auras.
Quantus eras tum, cùm rediuius ad astra meares?
Quantus eques asino cum mœnia celsa subires?
Quantus in extremo rediturus sidere iudex?
Tunc pariter gentes, & dura lege reuinctos
Vindice ludæos dextra reuocabis ab imis
Terræ visceribus: stabunt hi ponè tribunal,
Lance pari poenas, & facti crimina soluent.
Sic duplex Domini est aduentus, & vna potestas.
Significat veterem frenatus asellus Adamum,
Ipse nouum pullus, vestigia facta sequentem,
Expertemq; oneris, nec pressum legis habena.

D iñ

Incubat

Incubat huic Christus, renouatum numine sacro
Ducit, & Augusto gignit sub pectore motus.
Ille coercetur frenis, et vincula sentit,
Atque graui premitur summissus pondere legis.
Sic homini veniet duplici Saluator Iesus.
Hunc Euangelio, regit illum lege iugali.
Nos tibi gnate Dei, tibi nos de virgine nato
Gratamur, benedicte venis super astra refulgens :
Christe patris splendor, qui complex omnia victor,
Rex benedicte venis caelis osanna sub altis.


DE SPIRITV SANCTO PRECATIO.


CVM Deus vndanti mersisset flumine mundum,
Nullus & in toto corpore motus erat,
Spiritus aetherea purus descendit ab arce,
Omnia viuifico fouit ab igne calens.
Ille renascentes mundi septemplicis orbes
Ore serenauit numinis aura sacri.
Infusosque dedit rebus crescentibus auctus,
Vnde manet tepidi plena vigoris humus.
Hunc simul inspirans humanis mentibus olim,
Igne Deus vegetat corpora nostra pari.
Ergo eadem moles facili se corpore miscens,
Pectore sub nostro feruet, & intus agit.
Exerit hinc vires, & tota calescit in imis
Osisibus, & largo pectora rore rigat.
O facer ignis amor, sine quo nec nobile quicquam
Mens sapit, aut rectum daedala praestat opus.

Inclita

Incluta lux fulge, coeli de lumine lumen,
Irradia quidquid mens operosa facit.
Nam sine te incassum tentant praelustria sensus,
Iudicij ratio quod tenebrosa negat.
Ut tempestates rigidas Sol aureus aufert,
Cum coelo nubes plurima pulsa fugit.
Nec mora, iam tenebras videas sub sidere densas,
Cum super impendens soluitur imber aquis:
Sic tuus aethereo late se vertice splendor
Explicat, & clarum prodit ab axe diem.
Ille suis radijs aciem, quae stricta latebat,
Mirificis acuit lumina tacta modis.
Suscitat ille animos, & ad ardua ducit inertes,
Aestuat afflatu mobilis aura tuo.
Te petimus nostris infundere sensibus ignis,
Spiritus o, flamma pectora nostra foue.
In te nostra salus, quam iuncto munere praestas,
In patris & nati numine dulcis amor.
Sint fragiles animi vires, nos adsere, tecum
Vivat & aeternum viuidus iste calor.

FINIS.





B.I.G.

Farbkarte #13

MALACHIAS
PROPHETA
SERMINE REDDITVS,

A

VLO SIBERO NEOPOLITANO
FRANCO.

ACCESSIT HYMNVS DE

*Regio Christi ingressu in Hierosoly-
man, Item de spiritu sancto,
eodem Autore.*

IESA. 2. Cap.

*in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in
latium, & eleuabitur super colles & fluent ad eum om-
nes. Et ibunt populi multi ac dicent, uenite & ascenda-
mus ad montem Domini, & ad montem Dei Iacob, & do-
nabimus nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius: &
quia de Sion exhibit lex, & uerbum Domini de
Ierusalem.*

ANNO,
M. D. LXII,

